



~~B. #~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITTEBERG.

III. A. 14.

SIGNAT. 1510 CCCXIII.

Q.D.B.V.
4

CHRISTIANI WEISII
NUCLEUS
ETHICAЕ
sub uno conspectu
singula breviter ac fideliter referens,
quæcunque
tum
de HOMINIS FELICITATE
tum
de MEDIIS VIRTUTUM
& ipso
PRUDENTIAE OFFICIO
disputari solent.

In gratiam eorum, qui vel in Scholis
ad solidiorem Oratoriæ praxin manu-
duci, vel ad Lectiones Academicas
præparari volunt.

• • • • • • • • • • • •

LIPSIAE ,

Sumtibus JACOBI GERDESI.

Anno M. DCC. III.

CHRISTIANI WEISI
NIGELIUS

THEATRUM

CONFUSIONIS

CONFUSIONIS

CONFUSIONIS

MUTUARIA

PURITANITATE OFTICIO

CONFUSIONIS

CONFUSIONIS

CONFUSIONIS

CONFUSIONIS

CONFUSIONIS



LECTOR BENEVOLE.

Nucleus hic Ethices non ita pridem à me propositus fuerat, eo quidem animo, ut habendæ disputationis adesset argumentum. Sed observabatur postea, cōmodius sub unum conspectum revocari non posse meditationes, quæ circa nobilissimam hanc disciplinam dōcendo, legēdo, disputando sāpe tuissent subnatæ: prāsertim quod constaret, singula proponi & explicari posse vel ad captum tyronū, qui nunquam proficiunt in eloquentiæ studio, nisi ad officiorum & negotiorū ea fundamenta simul respicere discant, Id quod jam probatum est in Nucleo Logices, cuius exempla præcipuas decalogi virtutes reterunt, ac Juvenes vel aliud agentes ad honestatis aliquam cogitationem invitant. Nec alienum hoc fuerit a circulis scholasticis, qui sublimitatem alioquin academicam extra suas curas habent. Interest enim juvenes aliqua disciplinarum notitia, si vel maxime

A 2 tan-

tantum systematicā præparatos traditi
 is Professoribus. Quamobrem à me da
 ta fuit opera, nediscederetur à receptis
 principiis, qualia tuemur hactenus in
 Tabulis B. THOMASII; neq; tamen omni
 no cœcutiretur ad alia Recentiorum pla
 cita: quo loco præ cæteris eminere vi
 dentur tum Maxime Reverendi Dn. D.
 ALBERTI Compendium Juris Naturæ Ortho
 doxe Theologie conformatum; tum Nobilissimi
 Dn. RECHENBERGII Lineamenta Philosophiae
 Civilis nuper admodum vulgata Qvibus
 quantum ego tribuere soleam, quantum
 libenter debeam, theses in se nimium
 breves non dissimulant. Si quis est, qui
 nec sibi meditationis fructum, nec mihi
 sedulitatis quantulæcunque testimonii
 um in videre velit, rem sane facturus est,
 si min9 adeo magnificam, omni tamen
 parte non contemnendam. Fxit DEus
 ut apud juvenes cum eruditione semper
 succresat probitas, nec ejusmodi status
 aliquando nos premat, quæ pietatem
 prorsus exulantem lacrymis & suspiriis
 merito prosequatur. Scrib. e Gymnasio
 Zittaviensi d. 28. Febr. Anni M. DC. XCIV.
 qui est a celebrato non ita pridem Jubilæo no
 stro seculari nonus.

NU-

 NUCLEI ETHICI
 PRÆPARATIO.

ETHICA EST PRUDENTIA
 SUMMI BONI, scilicet doctrina felicitatis, quam homo prudenter obtinet intra seipsum.

Si distinguiur & Politica, que felicitatem externam in republica prudenter obtinere studet.

II. Tribus verò sive partibus sive capitibus absolvitur.

Spectat enim

SUBJECTUM, scilicet conditionem hominis, qui vult esse felix.

FINEM scilicet felicitatem, quam homo desiderat.

MEDIA, quibus adhibitis felicitas obtinetur.

III. Hac autem Ethica duplex est : PHILoSOPHICA & CHRISTIANA.

IV. Christiana mediis è verbo revelato petitis felicitatem indagat, alioque nomine vocatur THEOLOGIA MORALIS.

V. Philosophica, quam Gentilis quoque profitentur, mediis è rationali dictamine petitis felicitatem captat, & hæc propriè dicitur ETHICA.

VI. Evidem insigne hic deprehenditur Imperfectio. Nam ratio nescit corruptio-

PRÆPARATIO

nis nostræ originem, veræque felicitas fundamen-
tum.

VII. Habet tamen ETHICA hæc GEN-
TILIS triplicem Usum.

MORALEM, ut dictamen rationis nostra-
consideremus, unde sumus in judicio DEI
inexcusabiles.

HISTORICUM, ut pro curiositate nostra,
quid Gentes crediderint, videamus, ade-
oq; nos pudeat, si fortassis in hæc revela-
tionis luce simus Ethnicis in tanta cali-
gine constitutis, negligentiores.

DIDACTICUM, ut methodum a Gentili-
bus ordinatam & terminos ibidem ex-
plicatos brevi compendio & velut in
Lexico Ethico junctim spectemus.

VII. Didacticum igitur hunc Usum maxime
spectaturi certis capitibus exponemus.

I. NATURAM HOMINIS.

II. NATURAM SUMMI BONI.

III. NATURAM VIRTUTIS, IN QUACON-
SISTIT SUMMUM BONUM.

IV. NATURAM AFFECTUUM, CIRCA
QUOS VERSATUR VIRTUS.

V. SPECIES VIRTUTUM.

VI. MEDIA VIRTUTUM.

CAP-



(7)

CAPUT I. DE HOMINE quatenus est felicitatis

capax.
I.

Homo Philosophis dicitur ANIMAL RATIONALE, seu Creatura DEI, quæ habet Animam & Corpus organicum animæ servitiis destinatum.

II. Hujus autem consideratio pertinet ad tres disciplinas.

PHYSICA theoreticè corporis & animæ naturam indagat.

MEDICINA practicè felicitatem corporis seu sanitatem observat.

ETHICA practicæ felicitatem animæ curat, unde nonnullis vocatur Medicina Moralis.

III. Videamus nunc potissimum de Anima, cuius theoriam physicam præsupponimus.

Farimus hoc in gratiam eorum, qvibus via nondum patuit ad collegia Physica.

A 4

Et

*Et placent quidem hypotheses antiquorum,
ut communiores: cum ipsare, præser-
tim ad nostram doctrinam, nihil novi con-
tulerint recentiores.*

**IV. Cæterum Animæ facultates nu-
merantur tres: VEGETATIVA, SEN-
SITIVA, RATIONALIS.**

**V. Facultas vegetativa, plantis etiam
conveniens, habet vim NUTRITIVAM
AUGMENTATIVAM, GENERA-
TIVAM.**

**VI. Facultas sensitiva, brutis etiam
conveniens, habet SENSUM, APPETI-
TUM, LOCOMOTIVAM.**

**VII. Senitus vel est EXTERNUS, qui certo
corporis organo res objectas apprehendit**

*Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, Tactus,
& que ad tactum refertur, Venus.
vel INTERNUS, qui subtilioribus cere-
bri organis utitur.*

Sensus communis, Phantasia, Memoria.

**VIII. Appetitus quicquid a Phantasia
judicatur bonum, prosequitur; quicquid
ab ea judicatur malum, averatur.**

Sic dicitur concupiscibilis & irascibilis.

**IX. Locomotiva, cuius beneficio vi-
vum animal de loco succedit in alium, ut
bonum desideratum occupet, malum ef-
fugiat**

fugiat, vel est universalis totius corporis,
vel particularis, aliquorum membrorum.

X. Facultas Rationalis, quæ soli homini competit, optime potest explicari, comparata cum facultate sensitiva.

Nam non solum in multis operationibus quam arctissime conjunguntur; sed etiam per ista cognoscendi faciliora, commodius innotescunt difficultiora, & a sensibus remotiora.

XI. Sensui respondeat NTELLECTUS qui facultatem habet apprehendi, iudicandi seu comparandi & argumentandi; qui format species intelligibiles & verbum intentis; qui denique rerum semel cognitarum reminiscitur.

Inde habemus Cognitionem, Imaginationem, Reminiscientiam.

XII. Appetitui respondet VOLUNTAS, cuius operationes consistunt in eligendo & rejiciendo.

XIII. Locomotivæ respondet FACULTAS LOQVENDI, quæ homo cogitationes & desideria sua communicat cum aliis.

Nec video cur nobitissima hæc facultas omitti penitus mereatur, cum homo communiter dici solet RATIONE & ORATIONE preditus.

Aliqui Locomotivam animi dicunt memoriam intellectivam quæ lese vertere potest ad varias cogitationes. Interim sicut in anima sensitivæ

CAPUT. I.

tiva Locomotivam prae-isc non dicimus, e. g.
facultatem qua oculus seipsum dirigit ad ali-
quod objectum, vel aures advertuntur rebus
audiendis; sed eam potius, quæ nos objecto vel
proprius admovere vel ab eodem longius re-
movere solet; Sic in animo quærendum aliquid
est, quod motum externum & practicum totius
agentis referat magis, quam internum &
theoreticum solius potentie.

XIV. His præsuppositis Ethica disqvirit,
quantum istæ facultates concurrant ad hominis
felicitatem, adeoque declarat.

Facultatum NOBILITATEM, dum compa-
rantur inter se.

Facultatum OPERATIONES, dum referun-
tur ad agentem.

Operationum MORALITATEM, dum re-
feruntur ad normam seu Legem.

XV. Ante omnia facultates quoad ipsam
Nobilitatem distingvit. Num supremum lo-
cum sibi vindicant Rationales, seqvuntur sen-
sitive, ultimo nominantur Vegetativæ, qvibus
qvidem Ratio per se imperare non potest.

XVI. Inde cognoscitur status hominis
seu animæ **RECTUS** & **CORRUPTUS**.

XVII. Status Rectus est, cum Rationales
facultates imperant, reliquæ, præsertim Ap-
petitus, sensitivus, & Locomotiva obedi-
ent.

XVIII.

DE HOMINE.

II

XVIII. Status corruptus est, cum Rationales facultates appetitui sensitivo succumbunt.

XIX. Sed appetitum sensitivum accipimus, an aliqua latitudine (quippe simul hoc refertur pecuniae & honorum cupiditas) ut simul includi videatur appetitus hominis, quem dicere queas theologice appetitum COMMUNIS OPINIONIS.

XX. Exemplum utriusque subjicere fuerit operae pretium.

Oculus spectat pecuniam illicitam; ejus pulchræ species defertur ad phantasiam; appetitus irritatur; Intellectus accedit in consilium, & pecuniam iudicat bonam quidem, sed si occupetur, majoribus malis coniunctam.

Inde si obtineat Ratio recta, Voluntas accidens intellectui, imperat appetitui, ne pecuniam desideret ulterius, lingue, oculis, manibus pedibus, ne quid pecuniae causa suscipiant.

Si obtineat Appetitus corruptus, Voluntas obediens intellectui imperat, ut de mediis cogitet; lingue, oculis, manibus, pedibus, ut ministerium suum conferant.

XXI. Corruptum vero hoc imperium aliquando nostram arguit PRÆCIPITANTIAM, ubi ad actum appetitui gratum prorui-

ruimus, antequam in consilium ratio vocari queat; aliquando INFIRMITATEM, ubi in ipsa carnis & spiritus lucta ratio succumbit; aliquando extremam MALITIAM, ubi ne quidem audire dignamur intellectum reclamantē.

*Inde peccata quoque triplicis habemus generis,
PRÆCIPITANTIÆ, INFIRMITATIS,
MALITIÆ.*

XXII. Si nunc spectes Facultatū Operationes, seu ACTIONES, e supra dictis primum intelligi singula possunt, quæ passim disputari solent de PRINCIPIIS ACTIONUM. Nam principia in utroque statu nihil aliud sunt, quam Operationes intellectus & Voluntatis, tam circa finem, quam circa media.

XXIII. Sed ad Voluntatis electionem requiriatur, ut sit efficax, quæ ferio vult media: nam inefficax sive simplicis complacentia, nondum fatis est ad actionem.

Multis placet eruditio, sed displicant medianum difficultia: quamobrem nihil agitur.

XXIV. Actiones ipse vel sunt IMMANENTES, quæ non diriguntur ad alium: cogitare amare redere, vel TRANSEUNTES, quæ progressiuntur ad alium, loqui, benefacere, verbare.

XXV. Nobilior est distinctio, cum respec-

tu

Actu agentis Actio dicitur vel SPONTANEA
vel INVITA.

Hec enim magnum habet momentum, tam in
judicandis virtutibus, quæ non sunt nisi
spontaneæ, quam in discernendis præmis
& pœnis, quæ itidem non debentur nisi spon-
taneis.

XXVI. Actio spontanea fit sciente &
volente.

h. e. ab eo, qui novit factum, & ejus circum-
stantias, ac sua libertate gaudet, vel, ut lo-
quimur, liberum habet arbitrium.

XXVII. Actio invita fit à nesciente vel no-
lente, estque talis, vel per IGNORANTI-
AM vel per VIOLENTIAM.

XXVIII. Ignorantia vero, si hominem consi-
deres vel est PURE NEGATIONIS.

e. g. cum quis lapidem projicit, ubi nullum ver-
sari credit hominem: vel PRAVÆ DISPOSI-
TIONIS. e. g. cum quis hostem se petere credens,
ferit amicum.

Aliqui adjiciunt Ignorantiam PRIVATIO-
NIS, ut si medicus, qui scire debebat, nesci-
at, quia sit febris.

XXIX. Ignorantia, si rem ignorantiam con-
sideres, vel est JURIS, cum regulæ universales
nesciuntur.

Si quis nescire se dicat, homicidam peccare,
vel civis ignoret, pendendum esse tributum.
vel

vel est FACTI, cum circumstantiae speciales nesciuntur.

Si quis in bello hostem interficiatur, incidat in amicum; vel si civis nesciat, quā horā tributi pensio sit indicta.

XXX. Cæterum actio talis per Ignorantiam vel est EXCUSABILIS vel INEXCUSABILIS.

XXXI. Excusabilis est, cum ea nescimus, quæ scire nec possumus, nec pro statu nostro dicere debemus.

Alio nomine vocatur ignorantia invincibilis, vel ut Jcti loquuntur, probabilis. Sic rur situm, quid deceat inter aulicos, scire nec potest, nec debet.

XXXII. Inexcusabilis est, cum ea nescimus, quæ scire possumus & debemus.

Alio nomine vocatur vincibilis, quoniam adhibita industria vincere vel removeri potest, e.g. qui versatur inter Aulicos, scire & potest & debet quid tibi sit receptum.

XXXIII. Ignorantia hæc interdum sic est crassa, ut negligentiae culpam, ac velut militiam arguat, adeoque dicatur voluntaria.

Unde Jcti culpam aliquam equiparant dolo. Pertinent huc studiosi, qui nolunt ingredi auditorium; aut præfracti peccatores, qui templum non frequentant, ne scire cogantur, quid reparatur ad eorum officium.

XXXIV.

XXXIV. Interdum est affectata, dum nos aliquid nescire simulamus: quæ si est probabilis, excusat quidem in foro humano, non tamen in foro conscientiæ.

XXXV. Ast actio per ignorantiam tum vere creditur invita, cum detectam ignorantiam sequitur pœnitentia,

Nam si credens percutere ferinam, sub fructe nesciens occidat hostem, eoque tamen occise gaudet; ibi equidem ignorans hoc facit, sed non ex ignorantia. Sine dubio talia facturus, si rem scivisset.

XXXVI. Excipiuntur Actiones, ubi voluimus antecedens, adeoq; consequens, invitis nobis factum, voluisse credimur, sive maxime sequatur pœnitentia.

Hujus generis sunt, quæ committuntur vel ex ira, vel ex ebrietate. Poteramus enim iram compescere, & parcus bibere; ac scire debebamus, quid exinde consequi posset.

XXXVII. Actio invita per Violentiam est, cum quis ab externo agente præter voluntatem adigitur, vel physice per VIM cum quis arrepta alterius manu colaphum impingit vicino.

moraliter per METUM

cum ostenduntur damna vel dolores, nisi actio suscipiatur.

XXXIX.

XXXIX. Interim Violentia moralis, cum & duobus malis eligitur minus, arguit Actionem MIXTAM, h. e. partim voluntariam, partim invitam.

*Sic mercator invitus projicit merces: sed volens
servat vitam. M. r. i. y. r. invitus patitur tor-
menta; volens per manet in fide.*

XXXIX. Ultimo nunc videndum est, quomodo facultatum haec Operationes seu actiones referantur ad normam seu legem, in quo respectu sunt vel MORALES vel INDIFFERENTES.

XL. Actio moralis aut cum Lege consentit, & dicitur BONA.

h. e. aut facit quod jussum est: honorat parentes, aut omittit quod prohibitum est: neminem occidit.

XLI. Aut Legi repugnat, & dicitur MALA.

h. e. omittit quod jussum est, parentibus negat honorem: facit quod prohibitum est: committit homicidium.

XLII. Indifferens est, quae nec in Lege præcipitur, nec prohibetur, e.g. prandere hora vel undecima vel duodecima.

XLIII. Moralem actionem, quatenus talis est, aliquid antecedit aliiquid conseqvitur, quod utrinque vocatur CONSCIENTIA.

XLIV. Con-

XLIV. Conscientia *ANTECEDENS* est iudicium intellectus, quid a nobis fieri vel omitti debeat, cum addita obligatione.

XLV. Et Judicium hoc certis quidem nititur principiis,

nobiscum natis: *homo non est occidendum*, everbo revelato petitis: *dies septimus est sanctificandus*.

per experientiam civilem acceptis: *Principiandum est tribuum*.

XLVI. Ea conscientia vel est CERTA vel INCERTA.

XLVII. Certa principiis suis omnino credit: sive sit RECTA verisque principiis fundata: *Principi, cum honesta fuit, est obediendum* sive sit ERRONEA falsisque nitatur principiis: *Principi, cum ministerii loco crimen exigit, est obediendum*.

XLVIII. Incerta est vel PROBABLIS, quæ quidem inclinat in aliquam partem, metuit etamen, ne quis probare queat oppositum.

Sic in bello probabile est, decipi hostem posse, quippe quod prorsus occidi potest, sed quid si mentiri sit peccatum?

vel est DUBIA, quæ penitus nescit in quam partem inclinare debeat.

XLIX. Cum dubia nimium sunt rigida & anxie conquisita, vocatur Conscientia SCRUPULOSA.

Sic alius dubitat num mendicis circumfrenis

*ranis danda sit eleemosyna? quod bac abus-
ti possint ad compotationem.*

L. Conscientia CONSEQUENS est judici-
um intellectus, quid post facta vel omissa spera-
ri vel timeri debeat, quo respectu vel est
BONA.

*qua Legislatorem sibi spondet propitium adeoq;
sentit latitiam, gloriam, securitatem.
vel est MALA.*

*qua Legislatorem & judicem timet severū ade-
oque sentit dolorem, pudorem, timorem.*

NB. Facta verò non tantum judi-
cantur *Physice*, cum quis facultates
suas ac imprimis locomotivam ad-
hibuerit, sed etiam *Moraliter* per
imputationem, si quis jubendo, co-
gendo, svadendo, præmiis invitando,
rogando facientem impulerit,
vel post facta gaudendo, laudando,
non improbando scandalum &
præjudicium penes alios reliquerit
ac adeò sin minus respectu opera-
tionis tamen respectu intentionis,
causa vocari queat.

Sed ista de hominis statu dixisse suf-
ficiat.

CAP.

CAPUT II.

D E B O N O .

quod hominem reddit felicem.

I.

BONUM, seu ut alio nomine vocatur, FINIS
hominis explicari potest

In THESI, quid in genere sit bonum.

In HYPOTHESI, quid in omnibus bonis sic
summum.

In ANTITHESI, quid sit malum, & quid
in omni malorum genere vocari debeat
Summum.

II. Bonum in genere est, quod appetitui no-
stro convenit, h. e. quod amore nostro dignum
est, suaqve præsentia voluptatem nobis con-
ciliat.

III. Nam Felicitas, si naturam ejus intime
perpenderis, est REI AMATÆ POSSESSIO
sive FRUITIO.

IV. Qvam obrem Appetitus dirigitur a
PHILAVTIA, h. e. ab amore nostri, qvi pro-
priam felicitatem & conservationem, adeoqve
rei amatæ fruitionem & fruendi occasionem
semper intendit.

V. Cæterum quo plura sunt bona, qvæ no-
strum appetitum movent, eo magis sollicitè
quærendum est.

quis sit Bonorum ORDO?

quis sit eorum USUS & ABUSUS?

VI. Cum enim observatur tum ordo tum usus, omne Bonum, qualemque sit, vocatur VERUM, quod etiam in fine bonum agnoscitur; vicissim ubi vel ordo negligitur, vel abusus intercedit, omne Bonum, alioqui splendidissimum dicitur APPARENS, quod in fine maius agnoscitur.

VII. Ordo Bonorum statuitur in tribus Clasibus: CORPORIS, FORTUNÆ, ANIMI, de quibus tamen aliter judicant Oratores, aliter Ethici.

VIII. Oratores ut commendationis argumenta conquirant, maximè respiciunt ipsas facultates benè constitutas,

in corpore sanitatem, robur, pulchritudinem
sensuum integratatem.

In animo ingenium, memoriam, expeditam
statuendi, loquendi promptitudinem.

In Fortunæ bonis nobilitatem, dignitatem,
potentiam.

IX. Ethici ut actiones ordinent, solliciti sunt de Objectis harum facultatum, quippe quæ appetitum movent, & ad varias actiones impellunt.

X. Et objecta delectant vel APPETITUM
strictè sensitivum vel OPINIONEM, vel RATIONEM.

XI. Appetitum sensitivum delectant voluptates corporis, quæ brutis etiam suo modo convenient, ac quidem afficiunt

Gustum cibis & potus

Tau-

Tactum simplicem balneorum, fricationum,
apricationum, fomentorum, refrigeratio-
num suavitas.

Tactum, quem vocant venerum libid.

Locomotivam, & eam vel in exercitio, apud bestias volatus, cursus, natandi lascivia,
apud homines obambulatio, saltatio, luctatio
&c. vel in quiete, otiani & dormiendo
suavitas, quam aliqui pro summo bono haberunt.

XIII. Pertinent hic omnia, sine quibus
Voluptatum usus vel securitas non constat,
LIBERTAS & VITA, quin & *VINDICTÆ*
dulcedo adversus eos, qui voluptati aut libertati
struxerint insidias.

XIII. Evidem homines corporis has
voluptates saepe referunt ad opinionem, ut ex-
quisitiorem earundem usum desiderent, inde
Voluptates habemus pure *NATURALES*.
cum fami, siti, veneri, locomotivæ simpliciter
satisficiimus.

cum opinione seu *VOLUNTARIAS*, quæ con-
junctæ sunt cum delicato fastidio.

Cibus & potus placet, ast selectus & vario modo
præparatus. Venus placet, sed cum certis per-
sonis Somnus placet, sed in cubiculo molliore.
Motus placet, sed per choreas per equos, per
vehicula &c.

XIV. Pergimus ad bona, quæ delectant
Opinionem, ac animo blandiuntur sub spe-

cie JUCUNDI, GLORIOSI vel UTILIS.

XV. Jucundum est, quod curiosæ nostræ admirationi satisfacit, sive concurrat sensuum externorum aliqua voluptas.

Sic oculos delectant horti, palatia, picturae, vestes &c. auribus placet musica.

sive sensuum externorum intercedat nudum aliquod ministerium;

Sic delectamur alea, colloquiis, speculalis, comedisiis.

XVI. Gloriosum est, quod aliquā nobis existimationē ac prærogativam promittit vel per se dignitas, nobilitas, potentia.

vel per accidens

Sic hortis, spectaculis, musica multi afficiuntur non voluptatis sed gloriæ causa, quod reliqui paria præstare nequeunt. Multi bibunt, non ut gula sed ut gloriose opinioni tanguam Bassi heroës satisfaciant.

XVII. Utile est, quod jucundis & gloriosis inservit loco instrumenti vel mediis, sine quo vix impetrari possunt.

Huc referantur diviti, quæ placent, non aut adspiciuntur, sed ut alii acquirendis impendantur. Si enim avarus in spectanda penuria velut acquiescit, tacitè tamen impellitur ametu, fore ut esuriat, vel paupertatis contemptum experiatur.

XVIII. Rationem denique delectant quæ sua præstantia vel intellectum persciunt,

ciunt, Eruditio & prudentia; vel Voluntatem, Virtutis seu vita laudabiliter agendæ studium.

XIX. Videndum nunc de bonorum *USU & ABUSU*, quem cognoscimus ex fine, cui destinantur.

XX. Voluptates corporis destinatae sunt tum alendo corpori cibus & potus; tum servanda sanitati motus & refocillatis, tum propagandæ speciei *Generatio*.

XXI. Bona Opinionis non sunt nisi secundaria, quæ bonis primariis inserviunt.

XXII. Quæ placent sub specie glorioſi, sunt animi *LEVAMENTA*; Sic enim intercedentibus relaxationibus vires sufficiunt.

XXIII. Quæ placent sub specie glorioſi, sunt animi ac virtutis *ORNAMENTA*, ut extrinſeus attificantur testes, vel *INCITAMENTA*, ut qui premiis adeo pulchris gaudet, iis quoque velit effedignus.

XXIV. Quæ placent sub ratione Utilis, sunt animi ac Virtutis *INSTRUMENTA*.

Sic multo facilius & commodius exercetur fortitudo, liberalitas, iustitia &c. si mediis sumus instructi.

XXV. Voluptates Rationis ad bona primaaria, h. e. felicitatem & perfectionem, vel ut clarius loquamur, ad *CONJUNCTIONEM* cum DEO tendunt.

*Inde si quis virtutem diligat sub specie gloriost
dum aliis præferri, magisq; laudari cupit, vel
sub specie commodi, dum majora premia pul-
lentur, jam ex virtute vera fecit apparen-
tem.*

XXVI. Jam intelligitur, quis appetitus sit
ORDINATUS, qui judicium rationis sequitur,
& bonum primarium semper exoptat præ se-
cundario : quis sit INORDINATUS, qui judi-
cium sensus aut opinionis sequitur, adeoq; bo-
num corporis præponit bonis animi, secunda-
rium primario. Nec obscurum est, quis appe-
titus sit RECTUS, qui usum boni respicit ;
quis CORRUPTUS, qui ad Abusum propendet.

XXVII. Nec ignorare possumus, cur Bonum
apparens in fine deprehendatur malum ? Abu-
sus enim aut verum affert damnum : *Sic ebrie-
tas destruit sanitatem, aut in acquirendis bonis
sublimioribus non impedit. Sic ebrietas impedit
studia, DEIque cognitionem: aut pudorem & ju-
dicis iram provocat. Sic ebrius mala laborat
conscientia, quin & excidit promotione,*

XXVIII. Cœterum facile nunc in Hypothe-
si resolvitur quæsto, quod in his bonis sit SUM-
MUM ? sed videbimus tamen de requisitis, quæ
passim allegantur a Philosophis.

XXIX. Primo debet esse solius hominis, nec
convenire bestiis. Qui enim nobilioribus gau-
det facultatibus, objecta simul nobiliora qui-
bus perficiatur, requirit,

Sic

Sic excluduntur voluptates corporis.

XXX. Deinde bonum hoc esse debet in hominis potestate, quod invitis eripi non poscit. Nam bonum impossibile appetitum efficaciter movere nequit.

Sic excluduntur omnia bona fortune, que nostram opinionem demulcent.

XXXI. Tandem expeti debet propter se, non propter aliud: alias enim alio illo minus esset ac inferius.

Sic excluduntur divitiae, quae nunquam placent, nisi cum aliis rebus impendi solent.

XXXII. Singula tamen requisita quadrant in virtutem,

1. non competit bestiis, quod sedem habet in ipsa ratione.

2. est in nostra potestate, quod ejus principia per naturam nobis sunt inscripta.

3. expetur propter se, quod ceteris rebus destituta nihilominus placet.

XXXIII. Breuius sic dici potest. Sicut **SUMMUM BONUM THEORETICUM** seu summa cognoscendi felicitas consistit in agnitione & contemplatione Objecti nobilissimi, h. e. DEI, pari modo **SUMMUM BONUM PRACTICUM**, h. e. agendi felicitas consistit in actionibus, quae inserviunt Objecto nobilissimo h. e. DEO.

XXXIV. Jam Voluptates sensitivæ, si usum spectes, inserviunt corpori; opinionis bona virtuti; Virtus DEO,

XXXV.

XXXV. Neque tamen, qui Virtutem pro
Summo Bono agnoscimus, illis adversamur
qui **VITAM BEATAM aut DEI FRUITIONEM**
allegant. Ista enim a parte rei semper conju-
guntur; nec vita beata, seu conscientia spera-
tur sine Virtute, nec sine virtute & sanctitate,
DEI fruitio.

*Ita quicquid nominaveris in abstracto, totum
Summum Bonum semper habueris in con-
certo.*

XXXVI. Interim, qui procedere volunt ac-
curatius, **SUMMUM BONUM** & ejus Adjuncta
libenter distinguunt.

XXXVII. Primum Adjunctum, quod Virtu-
tem necessario sive consequitur, sive comita-
tur, est **VOLUPTAS**, non corporis ea, sed ani-
mi, quam supra diximus bonam conscientiam.

XXXVIII. Cum enim operatio sit DEO con-
formis, cuius boni absentia, vel cuius mali
præsentia timeri debeat, non appareat.

XXXIX. Et animus hac voluptate plenus
Semper est **SUA SORTE CONTENTUS**, quippe
cum adeat bonum primarium, DEO sic volente
nihil nocebit jactura boni secundarii.

XL. Alterum Adjunctum tendens extra ho-
minem, est **AMICITIA**, seu desiderium cum
altero communicandi suam felicitatem.

*Omne enim bonum est communicativum sui, ac
ipse*

*ipse DEUS ideo creavit angelos & homines,
quos felicitatis redderet participes.*

Sed locum hic non invenit Amicitia appa-
rens sive sit JUCUNDA, cum alteri bene cupimus
nostrae voluptatis causâ; sive sit UTILIS, cum a-
moris aliquod præmium speramus, ut Judeus ex
commercio Christiani.

XLII. Quippe sola nunc Amicitia spectatur
HONESTA, inde sic nominata, quod tanquam
radius a sole, proficiscitur a virtute.

XLIII. Enim vero, qui perspeximus Bonum,
facile judicabimus, quid in Antithesi sit
MALUM.

LIV. Aut enim sunt mala corporis, *Fames,*
sitis, nimia abstinentia, dolor, captivitas, mutila-
tio, mors; aut opinionis: *contemptus, paupertas,*
infirmitas, aut Rationis: Ignorantia & Vitium.

XLV. Vitium vero ut comparetur cum Vir-
tute inferius definita, est habitus corruptus e-
ligendi quæ DEO displicent, & rejiciendi quæ
DEO placent.

XLVI. Forsitan non inepte procederes, si
privativè diceretur aberratio à voluntate DEI,
positivè convenientia cum Voluntate Diaboli.

XLVII. Inde colligitur, cur in eo summum
constituatur malum, summo Bono prorsus op-
positum,

XLVIII. Adjunctum ejus intra hominem
est

est Dolor seu mala conscientia, cuius negotium est, incutere *PUDOREM & METUM*.

XLIX. Inde venit animus *SUA SORTE NUNquamCONTENTUS*, ac inutiliter in qualibet novitate ac variatione solatium quaerens, *Seneca dixit FASTIDIUM SUI*.

L. Adjunctum tendens extra vitiosum est *INIMICITIA*, cuius ulteriore declaracionem expectabimus in capite IV.

CAPUT. III. DE NATURA VIRTUTIS.

I.

VIRTUTIS nomine venit omne, quod laudabile est.

Ita nobiliores herbarum, lapidum, metallorum &c. proprietate dici solent virtutes.

II. Speciatim tamen Virtus est, quod in nobilissima hominis parte nobilissimam laudem meretur.

III. Est autem virtus vel *INTELLECTUALIS*, quae perficit intellectum in cognoscendo *VERO* & dijudicando *FALSO*; vel *MORALIS* quae perficit voluntatem in eligendo *BONO* & rejiciendo *MALO*.

IV. Hic potissimum explicandæ sunt *MORALES*: quia tamen præsupponitur doctrina intellectualium, neque peculiaris disciplina

DE NATURA VIRTUTIS. 29

plina jam extat, quæ nos adjuvet, per accidens
hanc curam in se receperunt Ethici.

V. Sunt autem Virtutes intellectuales quinque: *INTELLIGENTIA, SAPIENTIA, SCIENTIA, PRUDENTIA, ARS.*

VI. Intelligentia est habitus primorum principiorum h. e. perfecta notitia dictaminis theoretici & practici, qvod animis nostris inscriptum est.

VII. Hæc intelligentia differt a Conscientia, ut habituale a naturali. Quod enim natura Conscientiae impressit intelligentia per crebras meditationes & examinationes perfeclius apprehendit.

VIII. Sapientia est habitus theoreticus, cognoscens veritatem Objecti nobilissimi, h. e. DEI.

Hinc Gentiles Metaphysicam suam seu Theologiam naturalem dixerunt Sapientiam, ac in ea constituerunt SUMMUM BONUM THEORETICUM.

IX. Scientia est habitus theoreticus, cognoscens & demonstrans objectum minus nobile h. e. Creaturas.

Hic potissimum eminent disciplinae physicae.

X. Prudentia est habitus practicus, qui versatur circa agibile nobilissimum, h. e. qvod DEO placet.

XI. Ars est habitus practicus, qui versatur circa agibile minus nobile, qvod bona praestata

stat secundaria, e. g. ars edificandi, pingendi,
coquendi.

XII. Virtus Moralis est **HABITUS ELIGENDI**, QVÆ DEO PLACENT, ET REJICENDI, QVÆ DEO DISPLICENT.

XIII. Non dissidet definitio Aristotelis: **VIRTUS EST HABITUS ELECTIVUS IN MEDIOCRI TATE CONSISTENS, SECUNDUM RATIONEM RECTAM.**

Mediocritas enim sive rectitudo rationi recte
conveniens, refertur ad voluntatem DEI,
qui legem suam ratione rectâ proposuit.

XIV. Ceterum ad Virtutem cognoscendam
tria requiruntur.

OBJECTUM, cui introducitur mediocritas,
NORMA, seu dictamen rectæ rationis, se-
cundum quam judicatur mediocritas.

CAUSA DIRIGENS, seu Prudentia, quæ
normam cum objectis decenter compa-
rat.

XV. Objectum Virtutis, circa quod videlicet
versatur, est triplex; **EXTERNUM, INTERNUM, MEDIUM.**

XVI. Objectum externum sunt **RES**, ob-
iecta bona vel mala quæ nos movent, &
PERSONÆ, homines, in quibus vel bonum
& malum hoc reperitur, vel quæ ad boni &
mali fruitionem aut amissionem qualiter
cunq; concurrunt.

Inde

Inde habemus objectum REALE, e. g. in liberalitate pecuniam, & PERSONALE, in eadem virtute hominem accipientem. Sed duplicitis hujus Objecti solidiorem notitiam exhibebit Caput V. quod agit de speciebus virtutum.

XVII. Objectum internum est certus AFFECTIONUS ab objecto externo excitatus.

e. g. cupiditas pecuniae. Hujus autem objecti melior applicatio sperabitur Capite sequenti, quod Affectionum naturam ex professo declarat.

XVIII. Objectum medium est ipsa ACTIO, quae Affectionem velut cum Objecto externo conjungit, sive sit positiva, erogare pecuniam, sive negativa, non erogare pecuniam.

De Actionum natura & differentia nonnulla diximus Capite I.

XIX. Pergimus ad Normam seu ad RATIONEM RECTAM, secundum quam ex Aristotelis etiam definitione, concipi debet mediocritas.

XX. Et recta quidem ratio, quod saepe mouimus, denotat honestatis dictamen nostris mentibus inscriptum, instar legis, velut sub clausula penali, necessitatem injungens agendi vel omittendi.

XXI. Duo igitur in hoc dictamine reperiuntur, COGNITIO & OBLIGATIO,

XXII.

XXII. Cognitio est prior actus Conscientiae antecedentis, cuius supra fecimus mentionem *Cap. I. §. 44.* & hoc capite. §. 7.

XXIII. Obligatio est alter actus ejusdem conscientiae, quo respectu doctrinam moralem vocamus de *OFFICIIS*, s. debetis per hoc dictamen injunctis.

XXIV. Interdum hoc dictamen vocatur & libri, de hoc arguento concepti, inscribuntur: *De Jure Naturae & Gentium*, *De eo quod justum est &c.* Deum enim cognoscit legis latorem, & hinc, qvi actiones ad hanc normam comparat, ac undiqvaque cum lege consentit, vocatur **JUSTUS**, ac ipsius Virtutis Synonymum esse dicitur **JUSTITIA UNIVERSALIS**. *vid. Cap. V. §. 24.*

XXV. Restat Actionum directrix **PRUDENTIA** superius §. X. descripta quidem, sed nunc in ordine ad hoc dirigendi officium accuratius inspicienda.

XXVI. Communiter autem definitur **HABITUS CUM RECTA RATIONE ACTIVUS CIRCA EA, QVÆ HOMINI BONA VEL MALA SUNT.**

XXVII. Quasi dicas, perfectum intellectus usum, qvatenus applicatur ad actiones, qvæ moralem sive bonitatem sive malitiam in se continent.

XXVIII. Magnum ipsi subsidium accedit a **SOLERTIA**, seu acumine naturali; quod tamen cum ipsa prudentia confundi non debet.

XXIX.

XXIX. Ab hac autem Prudentia judicatur **MEDIOCITAS**, h. e. Rectitudo, ne appetitus vel actus ad excessum & defectum inclinet.

Sensem agnoscimus moralem, ubi medium dicitur, quod temperatum & satis est, ne habet nimium vel parum: non mathematicum, ubi cantharitatis medium est dimidius

XXX. Istud quomodo fiat intelligitur si Prudentiae triplex officium expendamus versatur enim circa normam seu dictamen, EXPLICANDO:

circa actiones, APPLICANDO;

circa affectus, TEMPERANDO;

XXXI. Dictamen explicatur, dum prudenter sedulo investigat Legis sensum, Rationem & obligationem, que singula paulo clarius occurrent Capite VI. §. 24. seqq.

XXXII. Pertinet hoc AEQUITAS, seu legis admodum rigidæ mollier interpretatio: cui opponitur tum **SUMMUM** jus s. nimius rigor, si quis puerulum furireum condemnaret; tum **CALUMNIA** s. legis in sensum alienum detorsio: ut si dicas, diem Sabbathi sanctificandum, sed libidinibus impendi posse noctem vel antecedentem vel subsequentem.

XXXIII. Alterum Prudentiae officium est Actiones applicare seu quod clarius dici potest, ad suas circumstantias decenter examinare.

XXXIV. Et Circumstantiae quidem continentur hoc versiculo.

Quis? quid? ubi? qvibus auxiliis cur? quo modo? quando?

XXXV. Demus exemplum. Si quis scire velit, an bibete sit licitum? responderi nihil potest, antequam prudentia suis defungatur qvæstionibus.

Qvis? sanus an agrotus? pauper an dives? dominus an servus? otiosus an occupatus?

Quid si, quod objectum? an vinum? cerevisiam, aquam, viñum, adūsum?

Ubi? an in convivio honorato? an in popinis & fornicibus?

Qvibus auxiliis? an vinum furto surreptum? an aliena pecunia & sumptibus alendæ familia necessariis comparatum?

Cur? an ut levetur sitis? an ut voluptati vel heroicæ scilicet inter combibones gloriae satisfiat?

Qvomodo? an levi sorbitione? an belluino haustu? an e poculis vel calceis?

Quando? an tempore prandii vel concionis vel negotiorum publici?

XXXVI. Itæ circumstantiae sunt triplices, ac in judicanda tum bonitate tum malitia diversum habent effectum.

XXXVII. Aut enim ipsum actum SPECIFICANT, h. e. ut eundem vel pro virtute vel pro vitio habeamus, efficiunt.

Cir-

Circumstantia Cur? & quibus auxiliis? in eleemosyna Virtutem arguit, si detur sublevandi hominis causa, & adhibeatur pecunia honeste acquisita: sed vitium est, si vel detur jactantiae causa, vel adhibetur pecunia furto acquisita.

XXXIX. Aut *AUGENT* vel *MINUUNT*, b. e. Virtutem vel vitii culpam reddunt sive maiorem sive minorem.

Amicum pecuniā sublevarē virtus est: sed hoc si fiat in casu præsentissime necessitatis, aut ubi nos ipsos propria deterrire possit egestas: virtuti accessit augmentum per circumstantiam Quando?

XXXIX. Aut ipsum actum *CONCOMITANTUR*, ut nec boni nec mali quicquam conferant.

Sic hominem verberare malum est: an autem id faciat dextra vel Sinistra, an hoc faciens vestem gerat albam aut nigrā, an versetur in hypocraſto vel in cubiculo, parum refert,

XL. Restat Temperatio seu mediocritas *AFFECTUM*, dum Prudentia nos eo deducit, ut bona decenter & moderatè concupiscamus, mala externa decenter & moderate refugiamus.

XLI. Sed Affectum perspiciendorum tanta est utilitas ut eandem reservemus peculiarī capiti, Nunc ubi Virtutem in essen-

tia cognoverimus, aliqua restant ad carundem existentiam pertinentia. Nam alias Virtutes aliis esse nobiliores, in ipsa praxi patet.

XLII. Accedit enim primo nobilitas OBJECTI.

Deum colere nobilius est, quam hominem Principem defendere nobilius quam rusticum:

XLIII. Alia nobilitas est CIRCUMSTANTIARUM, vid. thes. 36. alia vicissim SUBJECTI seu hominis, cuius Affectus vel magis vel minus sunt temperati.

XLIV. Habemus igitur SEMIVIRTUTEM, quae velut dispositio ad suum habitum eligit quidem honesta, sed cum aliqua difficultate seu carnis lueta.

XLV. Habemus VIRTUTEM, quam dicimus COMMUNEM, cum nihil amplius licitum est reclamanti appetitui.

XLVI. Habemus Virtutem HEROICAM, quæ ob nimiam suam sublimitatem extraordinariam quandam DEI cooperationem arguit.

Sic Iesus erat heroicè fortis, Josephus heroicè castus.

Cui quidem opponitur BESTIALITAS, cum quis pro incarnato velut Diabulo se gerit.

XLVII. An vero quis in hac rerum imperfectione progrederi queat ultra statum semivirtutis; & annon boni simus comparatè

po-

CAP. IV. DE NAT. AFFECTUUM. 37

pétius h. e. malis meliores, quam absolute optimis meliores, sīa dubitare non potuerunt Ethnici, dubitant tamen Christiani.

XLVIII. Proinde distingui debet status duplex: *IDEALIS*, qui ex legis norma iudicat, quid secundū ejus rigorem à nobis fieri debeat.

XLIX. *POSSIBILIS*, qui ex hominum corrupta conditione iudicat, quid a nobis præstari, vel per æquitatem judicis exigi possit.

L. Felices tamen Christiani qui statum idealēm justitiae, si non propriis meritis, Christi tamen beneficio, ac per ejus imputacionem consequuntur.

CAPUT. IV. DE NATURA. AFFECTUUM.

I.

Affectus sunt motus facultatis appetentis, qui oriuntur ex cognitione boni vel mali.

II. Iste vero triplicis sunt generis. Aut enim sunt **BONI**, qui oriuntur ē cognitione boni vera & ortinata, ac à prudentia diriguntur & comprobantur.

III. Aut sunt **MALI**, qui oriuntur ē cognitione boni falsa & inordinata, ac a prudentia extingvuntur.

IV. Aut sunt **INDIFFERENTES**, qui oriuntur a cognitione boni dubii, ac a prudentia temperantur, seu in mediocritate conservantur.

C 3

V. Boni

V. Boni Virtutem necessario comitantur, & a præcipuis ejusdem adjunctis **VOLUPTATE & AMICITIA** proveniunt.

VI. Voluptatis comes est **AMOR VERITATIS & PARRHESIA**: quippe qui non nisi laudabilia facit, nullius testimonium aut judicium exhorrescit.

VII. Voluptatis & amicitiae junctim sumptæ comes est **VERECUNDIA**, h. c. honestus (*non tristis aut infelix*) timor dedecoris, vel potius ignominiae cautio tum nostri causa ne subeamus opprobrium, tum aliorum quos in scandalum abripi nolimus. Pertinet huc vitandæ ad peccatum occasionis studium.

VIII. Amicitiae comes est **CONGRATULATIO**, conjuncta cum beneficiandi & consulendi studio, quæ gaudet internis & externis aliorum bonis.

IX. Huic adeat **MISERICORDIA**, s. dolor de aliorum infelicitate, qua judicamus indigos vel per debilitatem inferiores, conjunctus cum desiderio juvandi.

X. Succedit **INDIGNATIO** s. dolor (*non infelix, sed justus & ipsi dolenti probatus*) tum ob aliorum delicta commissa, quibus DEUM offenderunt, suamq; salutem prodegerunt; tum ob præmia, minus ex æquo distributa,

XI. Indignatio hæc, quam diu meliorationis aliqua spes super est, vitia pótius tangit, quam personas, adeoque dicitar **ZELUS**

DE NATURA AFFECTUUM. 39

LUS cum *TOLERANTIA* infirmorum conjunctus; si tamen ad extremum pervenierit malitia, dicitur *ODIUM* gaudens tandem maritis suppliciis exterminari malitiosos *DEI* & hominum inimicos.

XII. His affectibus Prudentia nihil adhibet nisi cautelam, ut ipsius Virtutis comites a fallacibus intempestivorum raptum comitibus segregare discamus.

Vitium enim libenter induens virtutis habi-
tum, putorem actionis honestæ pro vere
cundia, propensionem in maleficos pro miser-
ticordia, iracundiam pro indignatione
honesta invidiâ prozelo venditare conatur

XIII. Affectus in se mali Vitium necessario comitantur, & præcipuis ejusdem adjunctis *DOLORE & INIMICITIA* proveniunt.

XIV. Pudibundi doloris comes est *MEN-
TIENDI STUDIUM*, quod testibus & judici-
bus undiquaque fucum facere conatur.

XV. Desperatum hunc dolorem & inimi-
citudinem comitatur *IMPUDENTIA*, seu pec-
candi licentia, quæ negatis undique præmis
nec honoris proprii, nec alieni scandali rati-
onem habet; ac adeo gaudet offerri varias
peccandi *OCCASIONES*.

XVI. Inimicitia præcipua comes est, quæ
vacat nr ēnixaspenia, quæ non solum gau-
det aliorum malis externis, incendiis, rapinis,
cædibus, morbis suppliciis; sed etiam malis
moralibus, ut scabiosus alteri libenter affricet
contagium.

XVII. Conjuncta hæc est cum auxiliandi morositate, quin & insidiosa verluria, quæ consilii loco fraudes objiciat.

XVIII. Nec abest *INVIDIA*, quæ reliquorum felicitatem præcipue bonorum inquis oculis adspicit, & ad arrodendam eorum famam s. *CALUMNIAM & CAVILLATIONEM* facillimè propellitur.

XIX. His affectibus Prudentia medetur, si eum ipsis vitiorum radicibus pessima simul germina proflus extirpet: nec sub virtutum habitu quosdam fallere patiatur.

XX. Restant Affectus indifferentes & corrigendi, quos consideramus tum respectu Objectorum, tum respectu Operationum.

XXI. Objecta quæ movent appetitum, sunt omnia bona & mala prælestim Corporis & opinionis superius enumerata.

*Evidem excludi penitus nolim animi præci-
pua bona velut eruditionem & artem. Mu-
lti enim affectibus accensent ADMIRATIO
NEM, & quæ ex admiratione nascitur,
SCIENDI CUPIDITATEM.*

XXII. Interim eorum insignis est diversitas. Aut enim in excessu vel defectu vitiosam turpitudinem arguunt per se, ut *cupitatis Vene-
ris, potus, pecunie, &c.*: aut in excessu vel
defectu vitium arguunt per accidens. Sic ex-
cedere in spectandis hortis, audiendis cantilenis,
celebrandis saltationib⁹ &c. non est malū per se,
sed

DE NATURA AFFECTUUM. 41

*sed quatenus vel pecunia vel temporis jactura
vel impestivum gloria studium subest.*

XXIII. Prioris Generis affectus respexit Aristoteles, cum enumeraret 1. Timorem mali, 2. Cupiditatem voluptatis corporeæ 3. Cupiditatem pecuniæ. 4. Cupiditatem honoris 5. Cupiditatem vindictæ. 6. Studium complacendi per sermonem.

XXIV. Omisisse videtur affectus hoc loco nominandos: quos tamen facile retuleris ad classes jam designatas.

*Cupiditas otii pertinet ad corporis voluptatem
Cupiditas Libertatis & Existimationis per-
tinet ad honorem.*

Sciendi Cupiditas, cuius excessus insanam parit curiositatem, vel indirectè pertinet ad studium honoris, vel directè novam requirit classem, si enim corporis voluptates peculiari referuntur classe, absurdum quoq; non fuerit animi voluptates indifferentes sigillatim nominare.

XXV. Sed omnes istæ Cupiditates, cuius- cunque demum objecti notitia moveantur, varios & plane distinctos habent motus, quos pro diversitate circumstantiarum deprehendunt.

XXVI. Si enim offeratur objectum bonum, enascitur.

Desi-

Desiderium, quando cognoscitur,
Lætitia, cum speratur vel possidetur.

Timor, dum imminet jaclura vel imminutio.

Tristitia, dum negatur vel eripitur.

Odium adversus eos, qui nos impediunt.

Amor erga singulos qui promovent.

Propensio in omnia, quæ affectum, solicitans

Sic libidinosus libris & picturis, quin & ad-
spectu non profuturo gaudet.

XXXVII. Vicissim si objectum sit malum,
enascitur.

Aversatio, dum cognoscitur.

Metus, dum imminet.

Tristia & dolor, dum abest, magis dum e-
desse perseveret.

Lætitia, dum speratur vel impetratur muta-
tio in melius.

Odium adversus promoventem,

Amor erga impedientum.

XXXVIII. Et inde cognoscitur, quam facilis
detur transitus ex uno vito ad aliud.

Pamphilus amore corruptus illicitam querit
luptatem. Parentibus, si dissident, non obe-
dit; Amicis id impedientibus irascitur &
vindictæ studet; vindictæ causa sepe non est
fortis aut justus; abolende sollicitudini sit
ebrius; corrumpendis pecunia ministris fur-
to, rapinis fraudibus habet opus &c.

XXXIX. Jam vero patet, quæ affectum ido-
ctrina sit Oratoria, quæ moralis. Nam ora-
tora

toria præcise rem habet cum affectuum operationibus; Doctrina moralis in ipsis in quirit cupiditates.

Oratoria pro diversitate argumenti satis habet auditoribus temporariam instillare latitiam, tristitiam, metum, spem &c.

Sed Philosophia moralis id agit, ut corrigatur objectorum appetitus. Inde parum curat, quomodo corrigi debeat laetitia vel tristitia, spes vel metus, odium vel amor &c.
Et qui hoc in genere multas passim regulas conceperunt, Oratores potius vel Poëtas, quam Philosophos appellari velim; nam si quis affectum principalem correxerit, ac in ordinatum appetitum in ordinem redegerit, ultro cessat nimia letitia, nimius metus &c.

XXX. Videndum igitur, quod capite superiore promisimus, quomodo prudentia principalem affectum velut operationum adeo diversarum radicem, in statum mediocritatis seu rectitudinis reducat.

XXXI. Id quod fieri solet: sublevando nostram INFIRMITATEM, & corrigendo nostram OPINIONEM.

XXXII. Infirmitas nostra duplex est. Primo enim tolerare non possumus vel præsentiam mali nobis contrarii, vel absentiam boni nobis desiderati. Prudentia igitur introducit TOLERANTIAM s. PATIENTIAM, quam dices prudentem doloris contemptum, cum spe melioris status conjunctum.

XXXIII.

XXXIII. Deinde medium servare non possumus, cum liberior adest Occasio; opus igitur est **CONTINENTIA** s. **ABSTINENTIA**, quam, dices prudentem boni praesentis contemptum, eum spe boni melioris coniunctum.

Et hoc est Epicteti symbolum SUSTINE ET ABSTINE, quo totam complexus videtur Prudentiam.

XXXIV. Optimus vero sperabitur successus, si corrigatur Opinio.

Aut enim nos occupat falsa PERSVASIO,

Aut negligimus CIRCUMSTANTIAS,

Aut minus recte judicamus de EXTREMIS.

XXXV. Perswasio est, dum bona & mala credimus majora, quam par est, vel etiam proincepta STUPIDITATE, nec boni nec mali veram conditionem judicamus.

Exinde judicatur vitiorum excessus & defectus.

Avaritia laborat stolido pecuniae tanquam boni maximi desiderio; prodigalitas stupido pecuniae contemptu.

XXXVI. Hic prudentia suppeditat initio **DOCTRINAM** de bonorum usu & Abusu vid. Cap. II. § 18. seqq. deinde querit, quād Bona sint **VERA** vel **POSSIBILLA**: tandem subjicit **CONSILIIUM** adversus Philautiam. Ubi enim hæc inclinat in desiderium aut in contemptum, ad alteram partem inclinat prudētia.

6. g.

e.g. Philavisa in fortitudine magis inclinat
in metum ergo prudentia magis svadet si-
ciam. Neq; turbatur Mediocritas, si praden-
tia sit ex cessu vel defectu viuinior: quod es-
tim in vehiculis ad lapsum intlinatis proba-
tur, pondere in alteram partem directo, ser-
vari solet equilibrium.

XXXVII. CIRCUMSTANTIAS negligi-
mus, praesertim an Objectum desideratum
sit licitum vel illicitum.

Modice bibens peccat si vinum furto sit fur-
reptum: Modica Venus apud uxorem aliena-
nam excessus est &c.

XXXVIII. DE EXCESSU minus recte judi-
cant varii generis homines. Aliqui enim ex-
cessum vel defectum, velut rem minus turpem
vel periculosam contemnunt.

XXXIX. Eos decipiunt PRÆJUDICIA,
ut quicquid ab aliis pulchrum judicatur, non
dubitent amplecti.

Inter aulicos ebrietas, inter milites rapina
tanquam res indifferens estimatur: Et est
Gallicus scriptor, qui Principum libidi-
nes nominat imperfectas virtutes.

XL. Cum hac superstitione convenit fas-
mosus in morali doctrina PROBABILITYS,
dum nonnulli statuunt, actionem in se ma-
lam salva conscientia suscipi posse, si duas vel
plures allegare queat scriptores, qui affirma-
verint.

XLI.

XLI. Aliqvi vitiis in esse credunt malitiam externam tantum & politicam, qvod sic intelligi debet.

XLII. Malitia externa & politica est, quæ adversatur hominum existimationi, & hominem reddit contemptum, salvâ lâpe ipsius conscientia.

Sic Garrulus qui non altero fallendo, sed imprudens effutit arcana, stultus quidem habetur, & ad conversationem in utilis; non autem malus, qui cauterium gerat in conscientia.

XLIII. Malitia interna s. moralis est, quæ hominem reddit malum, & a DEO aversum.

Furi, homicida adultero conscientia dilectat, qvod a supremo Judice timeri debeat.

XLIV. Jam aliquos occupavit haeresis ea moralis, quæ dicitur INDIFFERENTISMUS. quasi nihil sit in sua natura malum vel bonum, nisi quatenus externa lege jussum vel prohibatum sit.

XLV. Aliqvi per negligentiam peccant, & qyoniam Aristoteles virtutes suas ad politam magis applicuit, quam ad conscientiam, satis habet in peccatis arguere absurditatem cibilem.

Timiditas vitium est, quia contemptum publicum affert.

Prodigalitas vitium est, quia paupertatem atrahit.

XLV. Inde

DE NATURA AFFECTUUM. 47

XLVI. Inde si concererint externum hunc contemptum satis bene credunt agi cum conscientia.

XLVII. Nominari hoc loco possunt Auctores *PECCATI PHILOSOPHICI* nuper extortitati, qui dixerunt, Peccatum in illo qui DEum vel ignorat, vel de DEO actu non cogitat, esse quidem grave sed non esse offensam DEI quæ turbet amicitiam Dei.

XLVIII. Interim falsis omnium opinionibus succurrens Prudentia, quantum nos virtutes cum Deo conjungant, quantum ab eo nos vitia separent, exponit.

XLIX. Virtus enim honestum semper habet finem, qui vel ad demerendum proximum velut amicum DEI, spectat.

L. Ex adverso vitium eo tendit, ut Deum violat, vel directè blasphemia, vel indirectè, laedendo ejus amicum: homicidium, vel invertendo ejus finem & voluntatem in lege expressam, spurcicies.

LI. Et haec est ea moralitas, quam invirtutum & vitiorum Judicio necessariam timidè quæsiverunt Gentiles felicius assequuntur Christiani.

Gentiles credunt, Fortitudinem nos conjungere cum Deo, quoniam suscipit Religionis defensionem; Christiani conjunctionem inveniant aliquanto propiorem: quippe fortis est, qui rem honestam Deoq[ue] gratam suscipiens, DEI præ-

præsentia & auxilio fretus, prater ipsius voluntatem nihil accidere posse persuadetur.
Sed ista perseqvi tempestivum est, cum ad ipsam mediorum & legum tractationem ordo nos deducit.

CAPUT. V.

De Speciebus.

VIRTUTUM
I.

PAucas Virtutes recenset Aristoteles, & eum secuti tantum non omnes Ethici, cur tamen id fecerit hic antecessor, vel cur hodienum consentiant asseclæ, videndum est.

II. Video, quid Aristotelem excusat, vel rigidiore censuræ paulum eximat: nam revelationis lumine destitutus quasdam neglexit virtutes, præsertim qvæ pertinent ad tabulam Decalogi primam.

III. Deinde qvod Ethicam & Politicam haberet pro eadem disciplina, mirum non est, honestatis politicæ & externæ potius quam moralis & internæ rationem habuisse.

IV. Probari tamen debet ejus studium, quod Virtutes potissimum observaret eas, qvæ affectibus maxime periculis medelam afferre conarentur.

Metum

DE SPECIEBUS VIRTUTIS.

49

Metum & contemptum periculi ad mediocritatem redigit **FORTITUDO**.

Cupiditatem & contemptum voluptatis corporeae **TEMPERANTIA**.

Cupiditatem & contemptum pecuniae **LIBERALITAS & MAGNIFICENTIA**.

Cupiditatem & contemptum honoris **MODESTIA & MAGNANIMITAS**.

Cupiditatem & contemptum vindictae **MANSUETUDO**.

Studium vel contemptum existimationis quantum obtinetur per sermonem, **VIRTUTES HOMILETICÆ**.

Omnes hos affectus conjunctim sumptos & stricto aliquo debito comparatos **JUSTITIA** particularis.

V. Neque improbari debent successores, quibus ordo fuit servatus. Nam sufficit in hoc studiorum moralium vestibulo cognoscere Virtutis naturam. Inde qui paucas tum definire tum ad Objecta sua decenter accommodare didicerit, nunquam haeredit in reliquis virtutibus, quas exhibet Theologia moralis.

VI. Species igitur jam designatas persecuti, satis habebimus singularum virtutum actiones & affectus ad excessum vel defectum proclives annotare.

Nam ipsa moralitas h.e. honestas & obligatio pertinent ad Doctrinam de **MEDIIS**.

D

VII. Vir-

VII. Virtus quæ mediocritatem servat circa metum & contemptum periculi dicitur **FOR-TITUDO.**

Evidem fortitudo recte vocaretur Virtus servans mediocritatem in defensione libertatis & securitatis: qui tamen honestum hunc impetum pleramque turbant pericula non certa quidem, qualia vexant patientiam, sed timenda tamen & possibilia: maximum ab hoc affectu venit impedimentum.

VIII. Ea, si species duplcem hominum in civili societate viventium conditionem est duplex, **BELLICA**, cuius actiones sunt hostem aggredi vel non aggredi, vim sustinere vel fugere.

CIVILIS f. TOGATA, cuius actiones sunt consulere, monere, contradicere, damnare, partium studia, presertim honestiorum, non negligere &c.

IX. Affectus præcipuus est Metus periculorum, in Bello, deprehensionum, vulnerum, captivitatis mortis, in pace, dignitatum, opum, amicorum, jactura, quem si habeas nimium, Fortitudo deficiens degenerat in **TIMIDITATEM**.

X. Alter affectus est periculorum contemptus, qui cum est nimius, fortitudo excedens degenerat in **AUDACIAM**.

XI. Virtus, quæ mediocritatem servat circa cupiditatem & contemptum voluptatum gestu

gestu vel tactu percipiendarum est TEMPERANTIA, vel speciatim, quæ cibum cupiditer moderatum, FRUGALITAS, quæ potum, SOBRIETAS, quæ Venerem, CASTITAS Singularum Actiones, quæ tum ex fine, tum ex objecto legitimo judicantur, consistunt tum in fruendo tum abstinendo.

XII. Affectus præcipuus est voluptatum Cupiditas, quæ cum est nimia degenerat in VORACITATEM, BIBACITATEM, s. ebriositatem (cum qua confundi non debet actualis Ebrietas) & SALACITATEM.

XIII. Alter Affectus est Voluptatum contemptus, tum naturalis, quem raro reprehendimus, ut defectus hic generali vocabulo dicitur STUPIDITAS; tum voluntarius magis quidem obvius, unde nascitur delicatum & superbum voluptatis velut patrum convenientis FASTIDIUM.

Sed Stupiditati non accensetur contemptus seu neglectus heroicus, qualem in jejunis & in abstinentia Vini vel Veneris aliqui probaverunt.

XIV. Virtus quæ mediocritate servat circa cupiditatem & contemptum pecuniae s. divitiarum dicitur vel LIBERALITAS vel MAGNIFICENTIA.

XV. Magnificentia versatur circa pecuniarum sumptus magnos, qui cadunt in hominem sublimi reipubl. loco constitutum est que virtus magis politica, cuius actiones

nes sunt *edificare templa, castella, ludos edere publicos apparare nuptias, exequias, triumphos &c.*) ac habet in excessu LUXUM, in defectu SORDITIEM.

XVI. Liberalitas cadit in qvemlibet privatum ac distinctim concipitur.

1. cum erogat pecuniam, ubi vocatur LIBERALITAS.

2. cum aservat, ubi vocatur PARSIMONIA.

3. cum acqvirit & accipit & corrigere videtur neglectum, vel proprii vel alieni comodi: quo sensu refertur ad JUSTITIAM PARTICULARREM infra declarandam.

XVII. Affectus præcipuus est opum s. pecuniæ cupitas, cuius exceslus degenerat in Liberalitatem deficientem, qvem privativè diceres ILLIBERALITATEM positivè s. contrariè oppositam AVARITIAM.

XVIII. Alter affectus est pecuniæ superbus vel nimium simplex contemptus, qui degenerat in liberalitatem excedentem s. PRODIGALITATEM.

XIX. Refertur huc OFFICIOSITAS, quæ non tam exercetur in dando, qvam in faciendo; si tamen ideò qvis facere dubitet qvod præmium non offeratur, stimulum habet Avaritiam, & correctio pertinet ad Liberalitatem.

Nam per inde est, sive des decem thaleros sive præ

DE SPECIEBUS VIRTUTUM. 53

prestes officium ab alio totidem thaleris redimendum.

XX. Si tamen officia detrectes, ex superbia vel ignava morositate, vel nimium sis officiosus, e simpliciore complacendi studio virtus haec a liberalitate distinguitur, nec apud Aristotelem est expressa.

Confluxus Liberalitatis & Officiositatis dicitur HOSPITALITAS.

XXI. Virtus quæ mediocritatem servat circa cupiditatem vel contemptum honoris dicitur MODESTIA vel MAGNANIMITAS.

XXII. Et Magnanimitas quidem cadit in homines, qui pro meritis (*prudentiae opum, natalium*) possum adspirare ad dignitates in rep. sublimiores, (estq; virtus politica, cuius actus sunt *ambire, accipere, gerere, deponere, recusare, &c.*) & habet in excessu SUPERBITAM, in defectu PUSILLANIMITATEM.

XXIII. Modestia cadit in homines honoribus modicis afficiendos : quæ tamen a sensu politico redacta ad moralem dicitur HUMILITAS, seu Virtus servans mediocritatem circa captandam inter homines existimationem & prærogativam. Actiones sunt aliorum laudes & adulaciones examinare, honores & titulos oblatos accipere, excusare, detrectare.

XXIV. Affectus primarius est cupiditas ho-

D 3

noris

noris, quæ cum est nimia, degenerat in vitium, quod politicè dicitur AMBITIO, moraliter SUPERBIA.

XXV. Alter affectus est timidus aut imprudens, (*forte & superbus*) honoris contemptus, qui parit OBSCURITATEM, s. nimiam humilitatem.

XXVI. Virtus quæ mediocritatem servat circa cupiditatem vel contemptum vindictæ, dicitur MANSVETUDO,

XXVII. Si distinguas iram magnam, qualis cadit in homines, penes remp: constitutos, non incommodè (quod in Liberalitate & Modestia observatum est) vocaretur CLEMENTIA.

XXVIII. Actiones Mansvetudinis, quæ tum ex fine tum ex Objecto licto judicantur, sunt irasci, non irasci, vindictam expetere, mittigare, remittere, injuriarum oblivisci &c.

XXIX. Affectus præcipuus est Ira s. Vindictæ cupiditas, cuius excessus degenerat in vitiōsam IRACUNDIAM.

Cum e: excedit, ipso modo vocatur EXCANDESCENIA, cum sensu ACERBITAS, cum intentione s. vindictæ nimio studio ATROCITAS.

XXX. Alter Affectus est timidus vel abjectus vindictæ contemptus, quo degenerat defectus suo in LENTITUDINEM.

XXXI. Sequuntur nunc Virtutes HOMILE-

DE SPECIEBUS VIRTUTUM. 55

LETICÆ, quæ mediocritatem servant in studio complacendi hominibus per sermonem, ac in tres dividuntur species.

XXXII. Primo enim libenter loquimur de nobis in eis ipsis: cuius mediocritatem servat VERACITAS. Excessus, cum nobis tribuimus majora, vel quæ non habemus, dicitur ACTANTIA, defectus, dum vel prorsus aliquos nos habere negamus, vel minora tribuimus, dicitur DISSIMULATIO.

NB. Confundi non debet Veritas, quæ oppositæ habet Mendacium, & est adjunctum Virtutis, vid. Cap. IV. §. 6. & 14. nec etiam Veritas justitiae, quæ suum cuique dicit & apud Politicos dicitur Taciturnitas, habens in excessu Garrulitatem, in defectu pertinacem tacendi & dissimulandi morositatem.

XXXIII. Deinde libenter loquimur seria, quæ placeant cæteris: quibus mediocritatem assert COMITAS, habens in excessu ADULATIONEM, in defectu MOROSITATEM.

XXXIV. Tandem libenter loquimur jocosa vel ridicula, quæ placent cæteris: ubi mediocritatem servat URBANITAS, habens in excessu SUCURRILITATEM; quæ blasphemis satyricis & obscenis sermonibus indulget, in defectu RUSTICITATEM.

XXXV. Ast revera Virtutes has dixeris Politicas: si enim aliqua intercedit.

D 4 mo-

moralitas ad conscientiam pertinens, ja-
stantia & adulatio corrigunt a modestia,
obscena scurrilitas a castitate, satyricum vin-
dicandi studium mansuetudine.

XXVI. Restat **JUSTITIA**, quæ virtus est
servans mediocritatem in eo, quod **SUUM**
CUIQUE TRIBUIT.

XXXVIII. Communiter unum opponitur ex-
tremum **INJUSTITIA**: quo ipso enim, uni mi-
nus tribuitur, alteri tribuitur plus: **emptor**
librum uno thalero estimatum duobus emens,
sibi tribuit minus, emptori plus; emens dimidia
thalero, sibi tribuit plus, venditori minus.

XXXVIII. Videndum tamen in hoc actu,
quæ sit intentio primaria, quod consequens
secundarium: duplex enim affectus ad hanc
injustitiam nos propellere potest.

XXXIX. Prior Affectus est **PHILAVTIA**
s. studium nostri vel personarum nobis utili-
tate & jucunditate conjunctarum cuius abu-
sus degenerat in **NEGLECTUM PROXIMI**,
qui minus alteri tribuit quam ipsius est.

*Jam intelligi potest, cur superius §. IV. dictum
fuerit, in justitia requiri moderationem
omnium affectuum, conjunctim sumptorum.*

XL. Alter Affectus est **PHILANTHROPIA**,
s. studium proximi: quod cum est nimium,
emergit **NEGLECTUS SUI**, qui proximo p'us
tribuit, quam ipsius est.

XLI. Cœ.

DE SPECIEBUS VIRTUTUM. 57

XLI. Cæterum, quod quisque SUUM vocare solet tale est.

JURE STRICTO, quod non solum obligat in conscientia, sed etiam allegari potest in foro humano. Sic venditor ab emptore jure stricto postulat pecuniam.

JURE LAXO, quod obligat in conscientia, non autem in foro humano: peccatum est, e gentibus eleemosynam negare, nemmo tamen avarum patrem familias ideo trahere potest ad judicem.

XLII. Jam Virtus, quæ suum cuique tribuit, jure laxo dicitur *JUSTITIA UNIVERSALIS*, omnes in se Virtutes comprehendens. & sequitur duas regulas.

Quod tibi vis fieri, alteri feceris; *huc spectant actus Veritatis, Beneficentiae Salutationis, Venerationis, præsertim Gratitudinū, que nomen amittit si adiutorium strictum velut expressum debitum revocetur.*

Quod tibi non vis fieri, alterine feceris: ut adeo caveatur laetitia alterius per negligenciam sc. culpam, & per dolum malum b. e. injuriū famē vel corpori illatam, per damnū facultatibus datum.

XLIII. Eadem hæc Justitia, cum refertur ad Objectum personale, cui certis officiis & amandi debitis sumus obstricti, vocatur *PIETAS*.

Qui DEO suum tribuit, Pius est erga DEUM,

D 5

Oui

*Q*uod i*M*agistratibus, Parentibus, Benefactoribus suum tribuit, speciali nomine *Pius erga hos vel illos &c.*

XLIV. Cæterum Virtus, quæ suum cuique tribuit jure stricto, dicitur *JUSTITIA PARTICULARIS*, & occupatur in *DISTRIBUENDO* in *COMMUTANDO* in *PUNIENDO*.

XLV. Justitia *DISTRIBUTIVA* suum cuique tribuit cum totum aliquod dividi debet in multas, ac habet respectum personarum s. meritorum.

*D*um inter cives distribuendi, sunt honores, publici maiores & minores, dum præda dividitur vel civibus vel militibus; dum tributa majora vel minoria pro modo facultatum imponuntur.

XLVI. Justitia *COMMUTATIVA*, suum cuique tribuit in contractibus, nullo personarum respectu.

*S*c Princeps offerens tres thaleros accipit panni tres ulnas; totidem probâc pecunia rusticus accipit.

XLVII. Justitia *PUNITIVA* suum cuique tribuit in decernendis poenis: quæ personarum habet respectum in exequatione, e.g. si nobilis & rusticus eandem perferrent pœnam, magis ea doleret Nobilis; personarum non habet respectum in ipsa punitione: nam quantum quis peccavit, tantum debet dolere.

DE SPECIEBUS VIRTUTUM. 59

At qui hanc referunt ad Commutativam; omne enim delictum puniendum, videtur arguere contractum non voluntarium quidem & ex consensu, sed invitum & ex maleficio.

XVIII. Si judicium interponere nostrum debeamus, sciendum est Virtutes haberi GENERALES, quæ pertinent ad omne homines, SPECIALES, quæ pertinent ad homines in certo statu viventes.

Sic habemus Virtutes vel doctrinam de officio Sacerdotis, Preceptoris Judicis, Consulis, Mercatoris, Militis, Opificis, Parentis cuius sorgyñ mediocritatem requirit &c. quod in speciali parte Theologie Moralis videri potest.

XLIX. jam tres iustitiae particularis species magis inclinate videntur in partem speicalem; nam distributiva pertinet ad officium Politici, punitiva ad officium judicis, commutativa ad officium Civis seu Patris familias.

L. Super est tamen Virtus aliqua generalis, quam supra nominavimus in Liberalitate, quæ videlicet suum cuique tribuit in accipiendo & pecuniis, &c consideratur.

ANTE PACTUM, ut suum cuique tribuatur in contractu juxta regulam: nemo ex alterius damno debet fieri locupletior.

POST PACTUM, juxta regulam: Pacta & promissa sunt servanda.

CAP-

CAPUT VI.

DE

MEDIIS.

ENumeravimus Virtutes, qua serie veniunt apud Ethicos. Alias enim accuratior est distributio, si certis classibus examinentur. quæ pertinent,

ad Officium erga DEUM.

ad Officium Hominis erga semet ipsum.

ad Officium erga Proximum.

ad Officium erga Rempublicam.

ad Officium Hominum erga specialem suam functionem.

II. Quantum verò Prudentia singulas virtutes dirigat, rationis dictamen *EXPLICANDO*, Legem hanc ad officia vel actiones *APPLICANDO*, affectus denibue *TEMPERANDO*, jamsupradictum est.

III. Restat igitur ut vidamus, quibus *MEDIIS* adjura Prudentia triplici huic muneri satisfaciat. Etsi enim mediorum nomine communiter designantur *LEGES & CONSILIA*: parum tamen est, nosse principia Prudentiae, nisi quomodo principia tractentur, simul in notescat.

IV. Ratio nis dictamen *EXPLICATUR* in certa disciplina, quocunq; demum titulo curiositati novitatisq; studio satisfaciat.

Aliud enim est hujus dictaminis naturale, quod cadit

eadit in omnes ratione p̄r̄aitos; aliud est ejusdem habituale, qvod illis tantum convenit, qui crebris exercitationibus Leges intelligere, nec solum sibi, sed aliis etiam satisfacere didicern̄t.

V. Nec obstat simplicem hanc doctrinam à diversis tractari methodo diversa vel etiam, si externam speciem examines, deduci è principiis diversis. Nam qvid sibi velit hæc varietas, facile probari potest.

VI. Homo cui dictamen hoc rationis inscriptum est, diverso respectu cognoscitur.

1. ut Agens Superiori subjectum & obligatum.
2. ut Agens cæteris creaturis nobilius.
3. ut Agens rationale, qvod non impetum naturæ vel locomotivæ, sed intellectum simul & voluntatem apud se deprehendit.
4. ut Agens sibi non sufficiens, alienique supsidii semper indigum.
5. ut Agens in statu corrupto inter alios corruptos collocatum.
6. ut Agens liberum de cuius motu spontaneo creator gaudet. *Hilarem datorem amat Deus. 2. Cor. 9. 6.*

VII. Inde qui Hominem considerant, ut Agens superiori subjectum, initium faciunt à Lege, h. e. si Christiani sunt, à Decalogo, si Gentiles, à Dei cujusdam imperio.

Sic

Sic Lycurgus Apollinem, Numa suam Egeriam,
Socrates suum Genium allegabat, quoties
humanam suam autoritatem vacillare
posse verebantur.

VIII. Qvæ Hominis nobilitatem prærogati-
vam præ oculis habent si sunt Christiani, ma-
lunt præ supponere Notitiam status integri,
cui quanto propius accedunt mores nostri,
tanto majorem possidere perfectionem vide-
mur.

IX. Qui hominem agnoscunt rationalem,
vel a priori procedunt per demonstrationes,
Mathematicis alioqui familiares: vel a poste-
riori, ut obseruent consensum Gentium: et si
per obscurum est, an Gentes semper consenserint
ex ratione recta, nec aliquando se uti fuerint
rationem corruptam: quod e publicis Gentium
latrociniis patet.

X. Qui hominem adspiciunt vel ut sibi non
sufficientem, pro primo principio agnoscunt
socialitatem, cuius instinctu animal hoc Po-
liticum variis cum alio vinculis sese commit-
tit.

XI. Qui statum corruptum respiciunt, fa-
cile ad absurdam hanc speculationem prola-
buntur, ut primum principium dicant Bel-
lum contra omnes, ac adeo Legum obser-
vantiam ex inevitabili potius necessita-
te, quam ex ipso decoro & honesto deduc-
unt.

XII. Tan-

XII. Tandem qui hominis libertatem in aliquo pretio habent, ad AMOREM provocant: idque tanto libentius, quod ipse Christus ab hoc principio totam DEI legem dependere professus est.

XIII. Et quam pulchre singularem Virtutum & officiorum fundamenta constitui possint ex solo hoc principio, jam demonstratum est in Compendio Juris naturalis, quod certis de causis legitur in Institutionibus nostris Orationiis pag. 342.

XIV. Exscriberet libellum non vacat. Id breviter repeti meretur. Ab amore cognosci finem: quippe felicitas est rei amatae possessio, cognosci media: nam ad amorem pertinet prævia Personæ amatae notitia, deinde veniens ab ea cognitione desiderium.

XV. Ac istud quidem desiderium tria sibi proponit; ut personæ amatae placeat, omnia videntur quæ displicent; ut eidem inserviat, nec officium vel minimum intermitat; ut ipsa tandem fruatur, & præter ipsam aut ejus voluntatem nihil unquam desideret.

XVI. Quid ibi tentatum fuerit, benignis harum rerum censoribus judicandum reliquitur: et si non dissimulo, pro diversis Prudentiae officiis præferri vel hanc vel illam methodum posse.

XVII. Dum prudentia Dictamen expli-
cat, præ cæteris obtinet Notitia statu-
intel.

integri: quod sine metu erroris & sine mixtura principiorum corruptorum examinare dictamen nostrum possumus,

XVIII. Cum Prudentia sese ad actiones applicat, magnum sane momentum habet principium Socialitatis, quod ad praxin non humanam modo, sed civilem quoque nos egregie perficit.

XIX. Dum de affectuum temperamento labboratur, praesentissimam suam efficaciam probat principium Amoris, quod nos volentes allicit, nun coactos trahit.

XX. Inde singuli diversorum libellorum scriptores & cum fructu legi possunt & suam in moralis accivilis prudentiae studio laudem promerentur.

XXI. Sane dictamen rationis nos obligat, vel mediatè vel immediatè.

XXII. Immediate nos obligat in Conscientia, cum ea nobis expresse præcipit, quæ sunt *HONESTA* vel *PIA*, h. e. ad Amorem præstandum necessaria.

XXIII. Mediatè nos obligat, cum nobis commendat sive *DECORUM*, quorsum nos invitat opinio vel consuetudo inter homines nostri similes recepta: sive *JUSTUM* strictè sic nominatur, quorsum impellimur aut pacto, aut Lege positiva.

XXIV. Quocunque tamen modo nobis cedat obligatio, certe ad quamlibet Legis expli-

explicationē quatuor subsidiis opus est
**INTERPRETATIONE RATIONE,
EXCEPTIONE, COLLATIONE** Legis unius cum altera.

XXV. INTERPRETATIO genuinum sectatur sensum, ut talia semper sint
prædicata, quælia permittuntur à suis subjectis,
& talia sunt subjecta quælia esse permittuntur à
suis prædicatis, ne absurditas vel contradicatio
sequatur.

*Si dicás Sabbathum esse sanctificandum: in
prædicto subintelligitur sanctificatio non
simulata & externa: subjectum enim, quod
cultum Dei denotat, nihil permittit, nisi
quod Deo sit conveniens.*

XXVI. Et hic interpretandi modus varias
petit limitationes.

Parenti (subintellige, qui parentis facit officium) est obediendum.

*Veritas (subintellige, quæ alteri prodest, & ad
eum pertinet) est loqvenda.*

XXVII. RATIO legis vel est generalis, & in
actionibus hominum præcipue fundatur in
hoc principio: *Quod tibi fieri velis alteri feceris*
vel est specialis, & fundatur in cuiuslibet actionis
fine.

*Parentem esse honorandum, probatur generali-
ter quod filius aliquando factus parens, ini-
quæ latrus videtur denegari obsequiū: pro-
batur specialiter quid est filii benefactor ac*

E

gene-

*generando contulit vitam, educando me-
liorem vivendi modum.*

XXVIIII. Ex his rationibus oritur Legum Ampliatio, qvod omnes eo trahuntur, ad qvos aliqua ratio spectat.

Si Parentes honorandi, ergo & Praeceptores, ergo Magistratis velut Patriæ Patres, nam par apud eos ratio militat.

XXIX. EXCEPTIO a Lege cognoscitur cum vel cessat obligatio: *Filius factus Magistratus non obedit: nam major obligatio, que obedientiam injungit ipsi parenti sustulit minorem, vel digressio excusat per impossibilitatem tum naturæ: filius agrotus iussu parentis non potest obire functiones domesticus tum legis: filius facere non potest quod Magistratus prohibuit: tum consuetudinis: filius parentis iussu non potest induere vestem rubram proditurus ad exequias.*

XXX. COLLATIO legum aliquando concurrentium tria respicit.

NOBILITATEM, nam lex nobilior derogat ignobiliori: *Parentibus obediendum: sed magis DEO.*

NECESSITATEM; nam lex magis necessaria derogat minus necessariæ. *Furtum non est licitum, ut benefaciamus pauperi, quippe lex de benefacendo saltet obligat hypothetice, si media sint in promptu, lex de non furando fluit ex absoluto praecepto, neminem ledendum.*

AB.

ABSURDITATEM; nam actio, quæ minorem arguit absurditatem melior est altera quæ cum absurditate majore conjugitur: absurdum est homini sciscitandi narrare mendacium, sed si scire velit arcanum, sine periculo principis vel patriæ vix revelandum: minus certè absurdum est, ludere curiosum & maleferiatum ardelenem, cui nullum e ludibrio damnum vel periculum imminet; quam prodere principem vel patriam.

XXXI. *Ista vero Collatio procedit vel CONCILIANDO, dum utriusque Legis vigorem custodit, vel RELAXANDO, dum lex debilior cedit validiori.*

Ponamus leges: Sabbathum est sanctificandum b. e. a profanis negotiis abstinentium. Patria est defendenda. Jam si defensio incidat in Sabbathum, valebit conciliatio, differri posse defensionem in alium diem. Qvod si tamen hostes in evitabilem nobis necessitatem injiciant, opus est relaxatione, nam minus absurdum est intermittere cultum Sabbathi propter hominem instituti, quam permittere cedem tot hominum.

XXXII. *His præsuppositis secundo nunc loco queritur, quomodo Prudentia leges ita cognitas ipsis Actionibus & officiis APLICET? qvad quidem fieri solet observando CIRCUMSTANTIAS, præcipue qvas nominavimus SPECIFICANTES.*

E 2 XXXIII

XXXIII. Sed parum refert, an Prudentiae judicia concernant res faciendas an factas: nisi quod consultationes intra nostrum animum institutæ dici solent **CASUS CONSCIENTIÆ**, judicia de factis, quæ simul extrinsecus examinari possunt, ab aliis vocantur **DECISIONES JUSTIVIAE**.

XXXIV. Interim Prudentia procedit vel per simplicem Applicationem, cum Actio respectu Legis est indifferens, h. e. nec jussa nec prohibita; vel per Legum Comparisonem, cum actio moraliter bona vel mala, b. e. in Legibus vel jussa vel prohibita: vel per circumstanrias contrarias, h. e. per aliam Legem circumstantiæ annexam redditur dubia.

XXXV. Actio indifferens parum negotii facillit, judicatur enim simpliciter, cum circumstaniam comitatur lex jubens vel prohibens, unde sequatur specificatio Actionis bona vel mala.

Scribere indifferens est, sed scribere literas in favorem amici virtus est, ex lege amoris: scribere literas in perniciem alterius vitium est, ex Lege, quæ vetat alerum laedere.

XXXVI. Neque difficulter agnoscimus Circumstantias vitiantes, quæ actionem bonam reddunt malam & malam ad huc deteriorem, nam simplicem subinde legem habemus præ oculis.

Paren.

*Parenti obedire bonum est; id tamen si fiat
austero vultu verbisque parum honori-
facis, vitium est: nam justitia requirit, ut
suum cuique libenter tribuatur, ac animus
opere respondeat.*

*Furtum facere malum est, id tamen si fiat ex-
plendae libidinis causa, quod novum aco-
cedit vitium, deterius est: vel si fiat & loco
& tempore, quo suspenduntur fures,
vel ex hominum judicio deterius est:
quod peccare videtur non ex infirmitate
aut præcipitania, sed ex obstinate & im-
pudenti malitia.*

XXXVII. Restat igitur ea difficultas, cum
leges inter se concurrentes Conscientiam redi-
dunt dubium, antequam earundem sensus, ra-
tio & obligatio strictius examinetur: an scilicet
prævaleat lex, quæ dirigit Actionem, an lex
quæ comitatur Circumstantiam.

XXXVIII. Circumstantiæ vero sunt dupli-
ces, vel sovent legem relaxantem, s. excipien-
tem, vel rationem excusantem.

XXXIX. Circumstantiæ, quas dicere possumus *RELEXANTES* legem offerunt priori
validiorem, & actionem legi contrariam pro-
nunciant justam bonam ac laude dignam.

Patri obediendum; non qui jubet ingredi-

templum Idololatricum : nam DEUS non
est lèdendus.

Non qui svadet noxiū medicamentū :
nam homo non debet destruere vitam vel
sanitatem.

Non qui filium studiis liberaliter excultum
protrahere vult ad opificium , nam Reip.
nihil est subtrahendum.

Furtum non est faciendum. Sed laudem me-
retur qui gladium surripit ebrio ; vel a-
mico venenū , quod acceperat pro phar-
maco ; vel juveni librum obscoenum aut
athenum : nam præterquam quod furtum
propriè dici non potest , quod nec per
fraudulentiam nec animo ditescendi sus-
cipitur : obtinet lex amoris ; custodi vel
eripe Proximum e periculo.

XL. Circumstantiæ , quas dicimus EXCLU-
SANTES , actionem legi contrariā efficiunt , si-
minus positivè bonam , certè non malam , nul-
loque vituperio dignam.

Sive exultationem det necessitas.

*Filius obedire debet : non qui captus est ab hosti-
bus , non qui discessit in aliam rem publ. non
qui patriam defendit adversus aciem in qua
versatur pater.*

Etsi posterior casus admittere videtur con-
ciliationem , ne filius præcisè ad eum se-
convertat manipulum , in quo versari pa-
trem credit.

Fur-

*Fursum est prohibitum; Sed excusat in casu
necessitatis e.g. in patrie defensione militib⁹
ob famen langventibus & defectionem mi-
nitantibus surripi potest frumentum e ditio-
rum granariis. Adest enim lex, Patriam in
extremis periculis quoquunque modo defen-
dendam esse.*

Sive excusatio veniat a respectu absurditatis.

*Sic in exemplo jam allegato absurdum videtur
nolenti frumentum surripere: sed majus ab-
surdum desereri patriam, & expectare pe-
riculum, in quo ipsa ditiorum granaria pe-
reant.*

Sive excusatio veniat ab hypothesi, seu præ-
sumptione.

*Sic frumentum surripiens præsumitur id agno-
cere pro quasi mutuo, sub hypothesi restitu-
tionis si commodum vel possibile fuerit.*

XLI. Interim memores nos versari circa
Nucleum, ac proinde brevitatis studiosi ter-
tio loco pergitus ad Astectus, quibus TEM-
PERANDIS invigilat Prudentia: sive rem ag-
gredimur paulo violentis per LEGES, sive
pladius per CONSILIA.

XLIIL Leges adhibentur, cuin deside-
riis in excessu procedentibus opponi
solet, vel præmiorum jactura vel pæna-
rum certitudo, h.e. si excitetur vel PU-
DOR vel METUS.

XLIII, Con-

XLIII. Consilia faciliorem resistendi modum suppeditant: nam ut supra monitum est, Prudentia succurrit directè, corrigendo nostram *OPINIONEM*, indirectè, corrigendo nostram *INFIRMITATEM*, quod utrinque venit a Consilio, quod Gentiles etiam velut cœlitus demissum depraedabant.

NOSCE TE IPSUM.

1. *Hic vero sese producit Oratorum & Ethicorum tractandis Affectibus diversitas, quam quidem si omnes observarent, alii alios impensis non exscripsissent.*
2. *Nam Oratoria capiat motus temporarios, quos supra novinavimus affectuum operaciones, ut presenti saltem loco homines ex nostra voluntate tum consilia tum actiones precipitent, vel intermittant; adeoque scire volunt, quid sit lætia & tristitia? quid spes & metus? quid amor & odium? quid ira? quid invidia &c.*
3. *Sed Ethica parum estimat hos surculos, dum modo licet agredi radicem, h. e. vel boni appetitum, vel mali metum; unde tot operaciones ultra propullulant. Inde nihil intendit aliud, quam ut appetitus prudenter dirigatur: nec alium curat affectum distributionem, quam quæ respicit objecta nostrum appetitum moventia.*

XLIV.

XLIV. Objectum enim quod Affectus mouet, concipitur vel sub ratione *BONI*, ut appetatur, vel sub ratione *MALI*, ut timeatur vel molestissime sustineatur, ac adeo motus enascitur quadruplex, prudentiae consilio corrigendus.

1. Bonum agnatum nimis appetit.
2. Bonum possatum non libenter relinquit.
3. Boni absentiam vel timet vel agrave fert.
4. Mali presentiam vel timet agrave fert.

Unde colligimus Prudentiae consilia partim esse moralia, b. e. paracistica vel epanorthotica, partim paracletica s. consolatoria; ne nesciant auditores, ad quam disciplinam, vel ad quam ejus sedem referri debeat eruditio[n]is pars adeo necessaria.

XLV. His autem satisfacit regula superius commendata: *NOSCE TEIPSUM*. Nam qualaecunque sit objectum, Prudentia monet.

1. Nosce te ipsum Quam *SIS INHABILIS*, quam parum tu convenias objectio.
2. Nosce te ipsum *QVAM SIS NOBILIS*, quam parum tibi conveniat objectum.

XLVI. Videamus de Objecto quod concipiatur sub ratione *BONI* sive sperandum & quaerendum, sive deterendum vel amittendum est. Primo quidem valet consilium *NOSCE TEIPSUM QVAN SIS INHABILIS*.

4. IN FRUENDO.

E 5

An

*An merita tua tanti quidem sunt, ut ejusmodi
bonum vel ut debitum ad te pertineat? an
potius tua culpa factum est, ut sis inhabilis?
An vita, valetudo aliqua vivendi necessitas ita
se habet, ut boni hujus possessionem serio ex-
optare queas?*

N.B. Eo spectabant, qui Philosophiam vocare solebant MEDI-
TATIONEM MORTIS.

*An requisita sunt in promptu, quibus instruc-
tum esse oportet, qui bono desiderato frui verè
& securè velit, an ad sunt naturæ, virium, in-
genii, eloquentiæ, virtutum, fortunæ debitis
subsidiæ?*

*An adeſt occasio? b. e. an obſtant negotiorum &
functionum impedimenta, quo minus huic
bono temetipſum consecrare possis? an eo
vivis ſtatū, ut boni hujus perceptionem tuto
& honeste jactiture queas:*

2. IN ACQVIRENDO ET RETI- NENDO.

*An bonum est in tua potestate? b. e. an pro lubi-
tu frui potes, quo minus votum decipiatur
differendo, negando, miriora preſtando? an
invito eripi non potes? an ipsum ejus funda-
mentum adeo lubricum eſt, ut citius pereat,
quam ſolide percipiatur,*

*Esne tam patiens, ut expectare occaſionem, re-
pulſam tolerare, molestias devorare, curas &
conſe-*

*consilia miscere, cupidiatum tuarum socios
ac ministros venerari possis?*

*Esne tam fortis & solers? ut invidiam, emula-
tionem repugnantium & rivalium insi-
dias superare valeas?*

*Esne tam otiosus, & animi semper adeo præ-
sentis, ut quæ acquirendo vel retirando bo-
non necessaria sunt, despicere possis?*

XLVII. Alterum Consilium est: NOSCE
QUAM SIS NOBILIS, h. e. dispice num tibi
conveniat objectum apparterenter potius, quam
verè bonum.

I. INDIGNUM EST HOMINEM DECIPERE.

*An nunquam fueris hoc bono? annon maxima
pars in opinione, in spe, vanis meditatio-
nibus consistit?*

*An omnes absunt nævi, an in ipsa fruitione quic-
quam intercedit molestie vel acerbitas?*

*An diuturna fruitio tedium non parit &
fastidium?*

*An fias etiam bonus consequitur hanc dulce-
dinem, quo minus dogustasse videaris sac-
charum venenatum.*

2. INDIGNUM EST HOMINEM SUÆ CONDITIONIS OBLIVISCI.

*An bonum adeo necessarium est, ut eodem ca-
rere non possis? nec passim vivunt homi-
nes, qui hoc bono destituti se etiam non
reputant infelices?*

An

An clanculum & dissimulando bonum degustas, h. e. an pudorem & temorem iniurias ipsa fructio.

Respic bona tua corporis, animi, fortunae: que vel sine bono desiderato tanta quidē sunt ut multi se deprendarent felices si vel hoc bono destitutis tuo saltem loco versari posseant.

XLVIII. Pergimus ad Objectum, quod concepitur sub ratione MALI, sive sit privativum, absentia boni, sive positivum certus dolor. Ubi reddit primitum consiliū: NOSCE TEIPSUM QUAM SIS INHABILIS.

1. IN RESISTENDO.

Fortassis hanc sive poenam sive castigationem sive temptationem promeruisti, tuaque culpa factum est, ut male causa vel physica vel moralis ipse dicaris.

*Dolendo & resistendo calamitas necessaria cintius angeri solet quam averti,
Inter hos dolores multum decedit dotibus aliquoquin solatio futuris.*

2. IN AVERTENDO.

An viribus & consiliis instructus es, ut tibi debere possis certam medicinam.

Annon prostituitur tua debilitas gaudentibus interim hostibus, qui te quam libentissime vident infelicem.

Forst, an suō est divina providentia, cui resistere nec censatum nec christianum est.

XLIX

XLIX. Succedit alterum Consilium NOSCE
QUAM SIS NOBILIS.

1. INDIGNUM EST HOMINEM DECIPI,

h. e. Perferri debet malam velut appa-
rens.

*Malum hoc dependet ab opinione & persuasio-
ne; vel molestiam babet momentaneam.*

*Multi hoc malo pressi nec desperaverunt, nec
se nimium infelices, crediderunt.*

*Multi sunt te infeliores, qui tamē sua sorte rel-
sunt vel esse debent contenti suamq; lauda-
rent fortunam, si levorem tuam calamita-
tem permutare possent cum graviore sua.*

*Forte bonus subest finis, ut vel ipse discas, or-
remores emollire, vanitatem contemnere;
vel aliis exemplum fortitudinis & patien-
tia prebeas.*

2. INDIGNUM EST HOMINEM SUAE
CONDITIONIS OBLIVISCI. h. e. spe-
rari debent meliora.

Respice dores & virutes tuas.

Respice Amicos & benefactores.

*Respice fortune vicissitudinem, & mirabilis
casuum eventus ac periodos.*

Respice Dei exaudientis gratiam.

L. Cæterum, ut Consiliis jam allegatis Pru-
dentia corrigit nostram opinionem: ita nunc
restat, quomodo, Idum meliora videmus &
probamus, per INFIRMITATEM eadem seqvi
possimus. Forte placebunt regulæ.

1. NOSCE PRÆCIPITANTIAM TUAM.

Ergo noli festinare: noli ad occasionem quovis modo monstratam vel oblatam properare.

2. NOSCE INFIRMITATEM TUAM,

*Vita occasionem, aspectum illecebras,
colloquia: vita solitudinem & otiosas meditatus.*

3. NOSCE MEDICINAM.

Res age, b.e. suscipe quod honestius peragi queat, unde cogitationes aliorum deflectantur.

Quere meliorem conversationem, qui voluptatē paulum honestiores tibi commendent.

Effunde desiderium in amicis inum, sic intelligis minus esse malum in re quam in opinione.

N.B. Lector Benevolus expectabit affectum exempla, regulis non ita multis accommodanda: nec diffiteor, hac ratione demonstrari posse, nullum dari affectum, quem vel ex his principiis aggredi non liceat. Sed memores versarios in nucleo prolixiorē sane exemplorum materiam occasione paulum commodiori servamus

FINIS.

Ung III A 114

ULB Halle
003 311 996

3



VD 17
Vd 18



FarbKarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Q.D.B.V.

CHRISTIANI WEISII NUCLEUS ETHICAE sub uno conspectu

singula breviter ac fideliter referens,
quacunque

tum

de HOMINIS FELICITATE
tum

de MEDII VIRTUTUM
& ipso

PRUTENTIAE OFFICIO
disputari solent.

In gratiam eorum, qui vel in Scholis
ad solidiorem Oratoriæ praxin manu-
duci, vel ad Lectiones Academicas
præparari volunt.

LIPSIAE,

Sumtibus JACOBI GERDESII.
Anno M. DCC. III.